

conabatur. Igitur exorto bello cum exercitus Mantuanus, præbente opem Luchino, Veronensem agrum invassisset, omniaque ferro flammæque vastaret, Ubertinus sese his socium atque auxiliarem præbuit, copiasque suas in commune contulit; venerat enim in spem habendam Vicentiæ, eratque ea conditione societas ab eo inita. Et jam Montagnanæ parata erant omnia cum exercitu cum instrumenta ad oppugnandum, tum verò & annonæ pro comitatibus. Sed Mantuani causati, quòd quidam de exercitu in omnium perniciem conspirassent, acta ingenti præda domum reversi sunt. Sic Ubertinus spe sua, fideque aliena delusus, ægerrimè id tulit; dolorem tamen æqua fronte dissimulavit; nec in futurum destitit, quo minus impedire conaretur, ne Domini de la Scala Lucam Urbem, quam amisissâ jam Parmâ tueri non poterant, Florentinis venderent pretio ducentorum millium florenorum, non equidem ea mente, ne Florentini Urbem haberent, sed ne hi pretium tantum; etenim aurum si accepissent, magna adversus vicinos potuissent facillè moliri. Itaque & ejus auxilio, & Luchini Vicecomitis, Januensium quoque, & filiorum olim Castrucci, qui Veronam profugerant, Pisanis Luca, post acerrimam eorum cum Florentinis pugnam, fame victa concessit; hique Urbe & pretio carere. Privatas verò inimicitias non minus diligentia cura prosequutus est; cum enim plerique ex rebellibus Paduanis, qui Parmæ habitaverant, defectione ejus Urbis à Dominis de la Scala, ad Mantuam se contulissent, Ubertinus impensò studio dedi sibi eos victos curavit. (93) Tempus, & Guillelmus fratres de Tempo, Federicus de Capitellâ cum fratribus, Jacobinus de Hengelstedis, & Novellus de Rubeis, quos omnes in carcerem Fojanam conjecit; fuitque illis, quamdiu vixerunt, hic locus infelicis vitæ sedes ingrata. Duribus, atque etiam dicere ausim iustis, in hos qui sequuntur animadvertit. Marfilio de Carraria ex longo comes assiduus fuerat, & inter amicos non postremus Daynesius de Fumifello, qui cum illius & liberalitatibus locuples, & favoribus honoratus haberetur, non veritus, quo tempore Albertus de la Scala insidias ei struxerat, in perniciem ejus consentire. Neque id visum illi est satis; sed cum nondum detecta esset viri perfidia, principante Marfilio, in simulatione benevolentiae perseverans omnia ejus secreta is revelabat. Quo insuper vita defuncto, Veronam ad Mastinum se contulit, isque eum in præteritorum memoriam, & Ubertini præsentem contumeliam, magno honore dignabatur, multaque ei largitus est. Qui subinde, ut erat incertæ fidei, Ubertini blanditiis allectus denuo in Urbem rediit, patrimoniumque integrè recepit. Verum immemor & accepti beneficii, & criminis remissi, conabatur clam, quod poterat, sparsis vulgo sermonibus, Ubertinum in odium plebis adducere. Quamobrem ipse, & Bonifacius frater, lacerati de se miserabile exemplum præbuerunt & perfidiæ & magnitudinis rei. Reliqui ex suis, qui aut metu, aut conscientia profugerunt, perpetuo exilio damnati sunt. Verum cum plerique falsis criminationibus severitate ejus in fontes abuti conarentur, excrevissetque plurimus calumniantium numerus, tres fuere, qui privato odio Nicolaum de Gardellis Ubertino detulerunt, quòd insolentius loquutus contume-

(93) MSS. ambo addunt: Fuere autem hi præcipui,

liosa de eo verba protulisset. Cujus rei veritate diligentius exquisita, cum falsam fuisse constaret, delatores ignominiosa mitra coronatos per vicos & plateas clangentibus tubis circumduci jussit, ac postremò, ut essent metui ceteris, lingua privari. Ea res magnam Ubertino & laudem & gratiam apud multitudinem peperit.

Ut igitur immitis in improbos Cives, ita in probos pius, clemens, ac liberalis inventus est. Inter ceteros Johannem de Vigontia & doctrinæ & militiæ honoribus insignitum, qui integra fide, & summa continentia diu fuerat in Republica versatus, atque apud omnes ferme nostri orbis Principes, populosque, legationis munus obierat, in senectute ad extrema redactum suis opibus fovendum alendumque per summam copiam curavit, multaque illum semper veneratione dignatus est. Nec verò in eos modò, qui virtute illa provecti erant, beneficium se præstitit; sed ex juvenibus quoque uti quamplures proveherentur annexus est. Cum enim aliquando valetudine adversa laboraret, cujus curandæ gratiâ Gentilis de Fulgineo, ejus temporis Medicus illustris, accitus est: Ubertinus splendore nominis, elegantiaque viri adductus, duodecim adolescentes Patavinos, qui ad disciplinas apti viderentur, deligi mandavit, eosque præbitis in omne tempus largè comitatibus Parisius misit, quæ Urbs literarum studiis famosissima tunc erat, uti cum liberalibus disciplinis imbuti essent, Medicinæ operam darent. Ac ne utique votum ejus effectu prospero caruit; omnes namque, qui ad id munus lecti sunt, debita tempora studiorum emensi, probi clarique evaserunt. Ad externos verò quam magnificum se semper liberalemque exhibuerit, multa subsunt exempla, si persequi velim. Sed id in præsens non omitam. Cum enim famâ percepisset, Guillelmum dictum Analdum Hannoniæ Comitem, Imperatori primum, deinde Franciæ, Angliæ, ac Siciliæ Regibus sanguine conjunctum, qui ex peregrinatione Sancti Sepulcri redibat, expectari Venetiis: nihil moratus insignes legatos eò misit, qui illic venientem exciperent, quique per summos honores opulentissima procuracione Paduam comitarentur. Hic noctu veniens tot cereis per aliquot milliaria inductus est, ut ex splendore nox in diem conversa videretur. Ubertinus fortè tunc æger domi jacebat, nec exhibere se ei potuit; verum Comes tantam magnificentiam in se admiratus adire ac salutare eum profusus voluit, deque amplissimo honore gratias præsens agere. Inde verò ingentibus illi donis Ubertini nomine oblatis, ex quibus gradarium tantum equum admisit, reliqua honestè recusavit, viamque suam proficisci perrexit, extra fines Paduani agrî nobilissimo comitatu deductus.

Anno quoque proximo non jam per legatos, sed ipse, cum sospes esset ac rectè valens, Oriagum ad usque profectus obviam Sorori Regis Siciliæ, quæ in Alemanniam futuri Nepoti Imperatoris conjux ducebatur, hanc summo honore, & amplissimo sumtu ut venientem suscepit, ita egressam per fines suos comitatus est. Eoque magis hæc conatus, quòd non modò gloriam ex ea re parare, sed Imperatoris quoque augere sibi benevolentiam officio sperabat. Xicum verò de Caldinatio bello pressum ab Episcopo Tridentino, opemque implorante, auxilio celeri & sufficientibus copiis juvit: quam ob rem

Henricus & Guillelmus filii Profdocimi, Tempus &c.